

Bano, Ejusdem Camerae Judex esse debeat. Eo in passu judicavimus primum et ante omnia distingvendas esse causas, ratione quarum antelata Camera Jure conveniri posset, & tandem juxta meritum & qualitates Causarum Judices quoque deputandos fore. In Causis igitur superfacto praenotatorum Bonorum contra eandem Cameraam movendis, deinceps quoque sortiatur Forum Banale. In Causis autem Violentiarum per ipsam Cameraam aut ex officiolatu commissarum, prout & si memorata Camera modalitate hoc puncto prascripta coram se querulantibus Jus & Justitiam debite impendere, sive longius differret, aut plane omitteret, coram, non quidem per Comitum praefatorum Regnorum Banum, verum exemplo Articuli 121. praecitati 1715 Anni per Majestatem Nostram singulis annis clementer Delegando Judice, Jure conveniri possit. Cujusmodi Judex in Causis coram se movendis contra toties dictam Cameraam juxta Regni Leges Judicium quidem ferre, Sententiam suam nullatenus in Executionem summere, verum eandem Majestati nostrae, medio Regiae Cancellariae Hungaricae Aulicae, pro clementer ordinanda ulteriore ejusdem Revisione ac disquisitione demisse submittere debeat. Quoad

5. Ad tollendam differentiam inter Partes circa hocce Punctum vigentem, ex hoc & immediate subsequente sexto Puncto unum formandum fore. De mum pro

Ultimo. Cautelam ex parte Fidelitatum Vestrarum interpositam locum non habere, cum exinde sequeretur Cameraam non nisi ut partem Incattam Publicis Regni Congregationibus interesse posse, adeoque aliorum Compossessorum minore Privilegio, aut praerogativa gaudere.

Praerecensitis proinde discrepantijs taliter, uti praemisum esset, per Majestatem Nostram benigne determinatis, negotium inter Fidelitates Vestras et toties dictam Interioris Austriae Cameraam Nostram modo praevio controversum, modalitate hisce sub Litera C. annexa, ex aequo et bono complanaretur & accommodaretur. In reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia Fidelitatibus Vestris benigne jugiterque propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, Die Decima octava Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo.

Carolus m. p.

Ladislaus Adamus C. Erdödy m. p.

Episcopus Nitriensis.

Josephus Koller m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs et Nobilibus, nec non Prudentibus, ac Circumspectis, N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus & ordinibus. Fidelibus Nobis dilectis.

(Locus Sigilli Regii.)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Acta R. Congregationum 1701. Nr. 77.